





Herrn Professor Schmelzer.

Leopold, Paul Christoph Aug.

1792, 4

14

452. /

COMMENTATIO IVRIS GENTIVM EVROPAEI
DE
EFFECTV NOVI BELLII
QVOAD VIM OBLIGANDI PRISTINARVM
PACIFICATIONVM.

COMMENTARIO RERUM GENTIANARUM

DE

EFFECTU ROLI BULLI

QUOD VBI ORLANDI PRISTANT

PACIFICATIONVM



DE
EFFECTV NOVI BELLII
QVOAD VIM OBLIGANDI
PRISTINARVM PACIFICATIONVM

CONSENSV
ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS
IN VNIVERSITATE IVLIA CAROLINA

PRO
GRADV DOCTORIS

DISSERET
PAVLVS CHRISTOPHORVS AVGVSTVS
LEOPOLD

AVLAE CONSILIARIVS BRANDENBVRG. SVET.

HELMSTADII
D. XXXI. MART. MDCCXCII.



DE
EFFECTU NOVI BELLI
CIVIS VIM OBLIGATI
RESTITUTIONVM PACIFICATIONVM

CONSENSU
ILLUSTRISSIMO PATRIBUS ELECTORVM BRVN-
NENSIUM IN UNIVERSITATE ILLA CAROLINA
PUB.
GRADU DOCTORIS

PATRIBUS CHRISTOPHORO LADENBERG
LEOPOLD
ALII CONSULENTES SEQUENTIBUS

HEILBRUNN
D. KARL HART DOCTOR





*Instituti ratio. Summa quaestionis. Eius momentum.
Dicendorum ordo.*

Pace ab una parte rupta, alteram etiam partem ab ea discedere posse, indubitatum quidem est; sed falsum omnino esse arbitror si inde conficitur conclusio: quod nunc pristinae pacificationes omnimode annullarentur; porius huc spectantibus rerum per Europam novioribus temporibus gestarum monumentis et inde deductis rationibus, quod novo exorto bello omnino quadam pro parte et quodam respectu pacificationum leges intemeratae stent, demonstratum dabo.

§. 2. In disceptatione igitur hic versatur: *An et quatenus pacificationum leges novo exorto bello subsistant vel vi obligandi destituantur?* et quod praecipuum est: *An et quatenus in terras ante hac cessas praetensiones fieri possint vel non?*

§. 3. Summorum imperantium potissima iura, possessiones nempe magnarum ditionum quas alter bello coactus alteri cessit, dignitatum hereditariarum agnitiones ut et successiones in regnis vel hereditariis vel electitiis, multa alia religionis statum, commercia, navigationes ceteraque publica concernentia pacificationibus niti, neminem, qui in cognoscendis rebus gestis et perferendis Statuum iuribus studium aliquod collocavit, fugere potest.

Quamvis hinc iam satis appareat quam magni momenti sit quaestio tractanda; tamen modo dictis multo maius momentum adrecescit si consideraveris quod per totum Europae compagem se haec materia diffundat, cum fere nullus existat eius potens vel status cuius interesse hic non attingetur;

A

tur;

tur; cum quilibet, sive pristinis sive novioribus temporibus, hoc modo ditiones vel acquisivit vel amisit, aliorum dignitates ut et ius succedendi agnovit, vel talium agnitionem ab aliis ratione sui fuit consecutus; aut etiam aliquid quod ad unum alterumve ante memoratorum jurium respectum habere potest, vel aliis concessit, vel sibi stipulasset; consequenter aut active aut passive hic aliquove interesse sit implicatus.

Quam frequens vero casus existat vix monendum videtur, cum modo trium vel quatuor posteriorum decenniorum historia satis edoceatur quam saepe et facile, non solum modo hac, modo illa Europae parte bella exardescant, sed ita etiam plures potentiae illis implicantur; ubi tunc semper hanc quaestionem ventilandi occasio adest.

Verum vero si esset quod per novum bellum omnes omnimode pristinae destituerentur pacificationes, nullamque amplius vim obligandi haberent; illis imperantibus, quibus hoc vel illud in pacificatione, quam aut ipsi, aut antecessores concludissent, non amplius e re visum, nil nisi id esset agendum: quam quod occasionem arriperent aut sibi darent alterum bello adoriendi; et tali modo omnibus iuribus, ex pacis pactioibus promanantibus, pro lubitu quolibet tempore annullatis, nullus potens vel status unquam, ullo modo securus esse posset de iis, quae pacificatione aliqua essent constituta.

§ 4. His praemissis non solum de iis ipsis per se, sed simul de objectorum summa quae hac materia sunt involuta et de variis respectibus, quibus in consequenda huius controversiae enodatione se sistent, cum constet, totiusque argumenti ambitus uno quasi introspectu comprehendi possit, res ipsa petraanda erit; ita ut: primo, ex actis publicis ea quae de hac controversia inter gentes sunt agitata, et quae inde gentium iuris principia, et facta illa, diiudicandi rationes, procedant, quae et simul insequenti doctrinae inservi-
ent,

ent, eruamus; deinde vero de variis, quae in pacificatione obvenire possunt articulis, agamus; in cuiuslibet indolem pro instituti ratione indagamus; et de quolibet, quid et ratio et ius gentium practicam disponat, statuamus.

I. *Casuum, quorum occasione inter gentes quaestio haec in disceptationem est deducta, eorumque, quae super ea sunt ventilata recensio, ut et de iis observationes quaedam.*

§. 5. Actorum publicorum monumenta docent: saepius et in gentium confessibus pacis negotiandi causa institutis, Imperii Statuum conventibus, pro ut eventuum ratio id dicitabat; in *Mani* - et *Contra* - *Manifestis*, bello exardescente a summis rerum moderatoribus vice versa emissis; Consilii status, aliisque publicis scriptis hanc quaestionem esse ventilatam; nec aliud quid expectandum: quam quod hic partes in varias discesserint sententias; cum pro huius illiusve sententiae veritate, etiam super cuiusvis partium Interesse, aut proficue aut detrimentose, fuisset decisum. Videamus igitur quae inter gentes haec de re sint acta.

§. 6. In tractatibus Neomagi 1677. pacis restituendae causa institutis, Legati Caesarei, in responso ad Gallorum pacis propositiones exhibito, omne id repetebant quod Galliae per pacem Westphalicam erat cessum, pro causa adiicientes: quod *Pacis Westphalicae*, cuius de cetero intemerata semper inter Caesarem Imperiumque lex staret atque sanctimonia, *beneficiis omni iure excidisset Gallia*, quae eidem pro arbitrio contravenisset.

§. 7. Iidem, simili ratione Sueciae Legatis declarabant; quod Imperator ad se et Imperium revoluta vindicaret omnia Dominia, Principatus et generaliter omnia feuda, quae Rex ab eo recognosceret. Pacis enim Westphalicae, cuius de cetero intemerata semper inter Caesarem Imperiumque lex staret atque sanctimonia, *beneficiis omni iure excidisset Suecia*, quae eandem pro arbitrio infregisset.

§. 3.

§. 8. Legati Brandenburgici ad Gallorum propositiones respondebant: an illae Pacis Westphalicae leges, quae ab una parte in suscipiendo gerendoque hoc bello neglectae essent, alteram adhuc obstringerent partem, ita, ut etiamnum in iis quae bellum hoc spectarent stare teneretur? in eo Elector Iuris gentium notissimae dispositioni acquiesceret.

§. 9. Suecicis vero legatis multo expressius ita: Quod Pacis Westphalicae leges, cum hac in parte Rex Sueciae neglexisset, Electorem obstringere non possent.

§. 10. Galli vero et Sueci cum revera non haberent quae reponerent, tamen cum silentio agnoscere iniustitiam armorum, quae sibi ab adversariis objiciebatur, turpe haberent, aut si quem illis colorem auderent circumponere, orbis ludibrium metuerent, consultum ducebant, omnem disceptationem, quae iustitiam ullo modo tangere posset, declinare, eoque per Sequestres paucis verbis ad proposita reponerent: Sibi haud persuaderi, Caesarem atque Electorem Brandenburgicum iure aliud quid praetendere posse quam instaurationem pacis Westphalicae, ad cuius observantiam tam Caesar per Capitulationem, quam Principes Imperii tantquam Legem Imperii fundamentalem obstringerentur.

§. 11. His tota huius rei ventilatio tunc temporis adqueiebat, consequenter quaestio haec indecisa relinquebatur, ut plurimum in controversiis inter gentes Europaeas agitata fieri solet: postea vero Pax Westphalica restituebatur; in incerto tamen haeret an Imperator Imperiumque in hoc vel modo libere, vel ex obligatione conferentur.

§. 12. Gallia iterum 1688. pacem, quae illam inter et Imperatorem Imperiumque adhuc dum sustinisset, rumpebat: hinc cum non multo post Iosephus I. in Regem Romanorum eligeretur et in Capitulatione eius art. 2. pacis Westphalicae mentio fieret, respectu Galliae sequentia addebantur verba: Der gleichwohl, als vil zu Vortheil der Cron Franckreich darinn enthalten, wegen des von ietzt-befagter Cron wider das

das Heil. Roem. Reich verübten Fridensbruchs nunmehr
zerfallen und ferners nicht mehr verbindlich ist.

In Conferentiis electionis causa institutis quo ad hunc
 articuli passum in voto quodam Electorali monebatur: Dafs
 was von der Cron Franckreich *Exclusion* gemeldet würde,
 auch dahin zu verstehen seye, dafs die Cron Franckreich
 weder für einen *Compaciscenten* noch *Garanten* des *Instrumen-*
ti Pacis geachtet werden solle, es waere dann und bis dahin
 bey den künftigen Fridens-Tractaten ein anderes von Kay-
 serlicher Majestaet und gesammtem Roem. Reich verhan-
 delt und veranlasset worden.

§. 13. Successionis in Hispaniae regnum causa bellum
 cum pararetur contra Galliam, Circuli Imperii qui Magnae-
 Confoederationi 1702. se associabant, sibi stipulabantur: *Vt*
 praeprimis etiam Redintegrationis superiorum Imperii Cir-
 culorum, mediante *restitutione* tot ab iis *avulforum* Com-
 membrorum, Civitatum, terrarumque in pristinum statum
 et jura, quo ante avulsionem ab Imperio gavisii essent, cura
 ratioque haberetur, nullumque mediorum ad eam obtinen-
 dam conducentium omitteretur.

§. 14. Cum etiam 1709. res ita stare viderentur ut pacis
 restitutio sperari posse crederetur, et Hagae Praelimina-
 ria pacis Galliam inter et Potentias confoederatas essent con-
 clusa, in Conventu Imperii sententia stabat: quod ea quae
 Gallia in securitatem Imperii cedere vellet ad hunc finem
 non sufficerent, et igitur omnia quae per pacem Monasterien-
 sem, Pyrenaeensem, Neomagensem et Rylwicensem ad
 Imperio avulsa erant, nempe Alsatia, Sundgovia, Episco-
 patus Metensis, Tullensis et Verodunensis; Lotharingia, Bar-
 ria, Franche-Comté etc. repetebantur, ad Imperio satis suf-
 ficientem securitatem (gallico idiomate *Barriere dictam*) ad-
 versus futuras Coronae Galliae aggressiones constituendam.

§. 15. Haec cum essent acta 1711. Carolus VI. Roma-
 norum Imperator factus, in eius Capitulatione art. 2. occa-

sione pacis Westphalicae, iterum statuebatur: Der gleichwohl, *so vil nemlich zu Vortheil der Cron Franckreich darinn enthalten*, weilen bekanntlich von Reichswegen der jetzt fürwährende Krieg aus hoechst trügigen Ursachen gegen gedachte Cron declarirt worden, nunmehr *zerfallen* und *ferner nicht mehr verbindlich ist*.

Quorundam Principum legati ad hunc passum monebant: Veber die Disposition, das der Westphaelische Frid ratione Franckreich zerfallen und ferner nicht mehr verbindlich seye, würde der hohen Herrn Principalen Special-Ordre erfordert: Dann ob schon dermahlen der Frid mit besagter Cron gehoben, so waere doch die Frag: Ob derselbe dergestalten verrichtet, das auch die, ex gravibus causis, per Pacem Westphalicam stipulirte Frantzoesische Garantie, finito praesenti hoc bello, nimmermehr gelten oder revivisciren sollte? welches dann die Chur-Fürsten nicht allein zu decidiren hactten.

§. 16. Non multo post infecutis tractatibus pacis Ultraiectensis, Imperator Imperiumque omne id repetebant, quod antecedentibus pacificationibus Galliae, aut expresse aut tacite, cessum erat.

§. 17. Praepositis his quae in auxilium advocare thematici ratio postulabat, ex iis ipsis ea sunt deducenda quae ad quaestionem exantlandam facere possunt.

§. 18. Primo extra omnem dubitationis aleam positum est: quod si plures potentiae in aliqua pacificatione ab una parte steterunt, inter unam vero harum et illam, quae ab altera parte stetit, bellum exardebit; pax ratione ceterarum illius partis subsistat.

In Pacificatione Westphalica Gallia, Suecia et Status Imperii Evangelici, ab una parte quod steterunt, tractatibus pacis Neomagi institutis expresse statuebatur: quod Pax Westphalica quidem *quatenus Galliam spectaret* pro annullata haberi deberet; de cetero vero inter Caesarem Imperiumque lex eius atque sanctimonia staret. In

In Capitulatione Iosephi I. statuebatur quod Pax Westphalica, quatenus aliquid in *favorem* Galliae comprehenderet vi obligandi destituta censi deberet, addita ratione: wegen des verübten Fridbruchs gegen das Reich.

Isdem verbis in Capitulatione Caroli VI. statuebatur, addita ratione: weil von Reichswegen der jetzt fürwährende Krieg, aus hoechst triftigen Ursachen gegen gedachte Kron declarirt worden.

§. 19. Ex supra adductis perspicendum est: Imperium novo exorto bello pacificationes pristinas amplius non pro obligatoriis habere voluisse, non distinguendo: an bellum *defensivum* aut *offensivum* esset. Tempore Iosephinae Capitulationis enim, ut ex allegatis constat, *defensivum* erat bellum Imperii contra Galliam gestum; tempore Carolinae vero *offensivum*. Hoc etiam est ratio cur *huc* spectantia verba in qualibet sunt *diversa*, quamvis *concordent* in quantum de *annihilatione* vis obligandi pacis Westphalicae quaestio est.

§. 20. Verum quidem est Imperium censisse pacem vi obligandi nunc esse destitutam; sed demonstrari non potest, hoc ita intelligendum fuisse quasi Gallia omne jus ipso jure et facto, per pristinas pacificationes in provincias ei cessas acquisitum, amississet, ita ut hae ditiones earumque incolae non amplius ad instar ditionum et subditorum Galliae, sed, et ipso jure et facto, postliminii iure, ut ad Imperium reversae, essent aestimandae; sed potius secundum rei circumstantias, idque quod sequitur, verba, Dafs der Friede, als vil zu *Vortheil der Kron Franckreich* darinn enthalten zerfallen und ferners nicht mehr verbindlich seyn, modo eum habent sensum: 1. Imperium bello ius acquisivisse ea quae Galliae per pacem cessa erant repetere; sed quantum hoc ab recessione, ipso jure et facto facta, distet, infra suo loco dicetur. 2. Galliam, tempore quo cum toto Imperio in Corpore, bello implicata esset, non posse exercere Garantiam Westphalicae pacis. 3. Denique Galliam omnia ea amississe quae ali-

as

as pacis tempore vi I. P. M. ratione liberi transitus per terras et aquas Imperii ad inducendos milites, commeatum etc., ab Imperio praetendere possit.

§. 21. Neque minus patet Imperium, ditiones antehac cessas non ea ex ratione repetiisse, quod eas nunc ut recessas consideraverit; sed quia spem aluit Galliam ita coarctare, quod illa coacta esset ad pacem sibi parandam, non ditiones modo ab Imperio Romano avulsas eique cessas, restituere; sed Imperio plura in eius securitatem cedere quam antea ad id pertinuissent, ut hoc ex postulationibus limitum extensionem ratione futurae securitatis concernentem, Gallico idiomate Barriere dictam, procedit.

§. 22. Hoc perquam clare etiam demonstrant et illustrant, ita ut et sequentibus inserviant, verba scripti cuiusdam quod sub titulo, *Discours sur la demande, que les Cercles de l'Empire — ont fait au Congres pour la Paix, touchant la Restitution de ce, qui a été cédé à la France par la Paix de Münsler et les Traités suivans*, existat, in quo dicitur: C'est une chose tout-à-fait hors de contestation, que quand une fois la Guerre est commencée, tous les traités de Paix precedens sont entièrement rompus et anéantis, NB. en sorte, que pourvu que la guerre, dans la quelle l'on est engagé, soit juste, ce dont les Alliés sont entièrement assurez, l'on est en droit de pousser ses prétentions aussi loin, qu'il est possible, soit par les armes, soit par les traités, et soit, que celui, qui fait la prétension, pénètre si avant lui meme, ou que les Alliés le fassent sans lui, puisque tous les Alliés sont considerés en cela comme une seule personne. In eodem scripto porro dicitur: Si donc le Roi de France a crû être en droit, de prétendre alors des terres qui ne lui ont pas appartenu, à plus forte raison les Cercles le seront ils à présent, de demander la restitution de ce qui leur a appartenu (quod ad illos pertinuit; non vero: quod ad illos nunc pertinet,) et qui en a fait, (quod constituit; non vero; in praesens constituit) de tout tems une partie. II.

II. Tractatio de articuloꝝ pacis indole, speciebus
 quae inde oriuntur, et jure quod cuiusque ratione
 sit statuendum.

§. 23. Enarratis quae inter gentes de proposito themate sunt ventilata, et his rebus facti pro fine nostro expensis et explicatis, ad tractationem ipsam de variis pacificationum articulis properandum erit.

§. 24. *Articuli pacis* si in genere seu latiori significato sumuntur, dicuntur singulae pacificationis partes, quibus distinguuntur ea, de quibus sigillatim quidpiam fuit conventum; objectum eorum sive respectum habeat ad bellum quod pacificationi antecessit, siue non.

§. 25. Si vero ad antecedentem bellum examinantur, pacificatio aliqua plures articuloꝝ species comprehendere potest. Transfigitur enim aut de iis quae bello causam atque occasionem dederunt vel de aliis rebus. Priori in casu *Articuli pacis in specie, seu proprie tales*, dicendi sunt. Posteriori vero, vel de rebus quarum causa quidem bellum non est gestum, quae vero cum causis belli connexionem habent et ex pacis articulis originem suam ducunt, consequenter ad eandem causam spectant, transfigitur; vel de rebus seu praestationibus aliis, ad causam belli nullum respectum habentibus, et quae modo per stipulationem accedunt, consequenter ad diversam causam spectant. Illo in casu *Articuli pacis connexi* dicuntur; hoc autem *diversi*. Harum specierum articuli, tam ratione personarum quam rerum quas concernere possunt etiam sunt distinguendi, quod in cuiusque peculiari tractatione fieri debet.

§. 26. Quod ad hunc articulos discernendi modum attinet, ille in pacificationibus rationem suam habet et inde est derivata, ut ex pluribus exemplis, infra suis locis adferendis, apparebit. Hic mihi modo adsint quae de Restitutione ex capite Amnestiae et Gravaminum, ut et de Helvetiae

tiae Cantonum Libertate et Exemptione ab Imperio, Pace Westphalica sunt constituta, quibus perquam clare id quod asserui demonstratur et illustratur.

§. 27. Igitur adferro quoad *primam* speciem I. P. O. art. 5. §. 1. qui ita sonat: Cum praesenti Bello magnam partem *Gravamina*, quae inter utriusque Religionis Electores, Principes et Status Imperii vertebantur, *causam et occasionem dederint*, de iis prout sequitur, conventum et transactum est.

§. 28. Quoad *secundam* speciem vero adfero I. P. M. §. 8. et I. C. art. 3. §. 1. cuius verba ita se habent: Iuxta hoc universalis et illimitatae *Amnestiae* fundamentum universi et singuli Sacri Romani Imperii Electores, Principes, Status (comprehensa immediata Imperii Nobilitate) eorumque Vasalli, Subditi, Cives et Incolae, quibus *occasione Bobemiae Germaniaeve motuum*, vel Foederum hinc inde contractorum, ab una vel altera parte aliquid praesudicii aut damni quocunque modo vel praetextu illatum est — — — restituti sunt.

§. 29. Quod denique *tertiam* speciem attinet, I. P. O. art. 6. et I. P. M. §. 61. qui ceterum eiusdem tenoris sunt, hic adfero, de causa quae neque ex bello tricennali ortum suum habebat, neque cum eo erat connexa, agentes, ex quibus sequentia sufficiant: Cum item Caesarea Majestas ad querelas Helvetiae, coram ipsius Plenipotentariis ad praesentis congressus deputatis propositas, super nonnullis processibus a Camera Imperiali contra Helvetiorum unitos Cantones emanatis, requisita Ordinum Imperii sententia, declaraverit, Helvetiorum Cantones in possessione vel quasi plenae libertatis et Exemptionis ab Imperio esse, *placuit huc idem publicae huic Pacificationis Conventioni inserere* etc.

§. 30. Secundum supra positas distinctiones, primo de *articulis pacis proprie talibus*, deinde de *connexis*, et denique de *diversis* agendum erit.

A.) De

A.) De articulis pacis in specie seu proprie talibus.

§. 31. Supra dixi pace ab una parte rupta, quidem alteram partem ab ea discedere posse; sed falsum esse quod pacificationes tunc omnimode annullarentur; seu quod idem est, omnia jura inde acquisita amitterentur.

Recte hic iudicari non posset si summam de his articulis tractare vellem; sed potius pro ratione argumenti sunt discernendi, cum magnum omnino secundum rationem et gentium consuetudines intercedat discrimen: inter 1) eos articulos per quos quis omni superioritate et supremo dominio abdicavit idque alteri cessit; 2) eos articulos qui personarum summorum imperantium; et 3) eos qui alia jura et obligationes unius alteriusve partis concernunt.

§. 32. Memorata haec quatenus in totum aut modo pro parte subsistant, primo; quatenus vero desistantur et quem effectum bellum ad illa habeat, secundo demonstrari debet.

I. Quatenus supra dicti subsistant.

§. 33. Quod *primum* momentum atinet, satis superque demonstrari potest, quod, quamvis pax rumpatur, tamen supremum dominium earum ditionum quae pacificatione aliqua sunt cessa, facto illo nullo modo redeant ad pristinum dominium; tales enim cessiones semper fiunt: 1. in totum seu ratione totius supremi domini; 2. absque omni restrictione; et 3. in perpetuum.

Hoc perquam clare procedit ex Praeliminaribus pacis inter Austriam et Borussiae Wratislaviae 1742. conclusis, quorum art. 5. ita statuit: Sa Majesté la Reine de Hongrie et de Bohême cède par les présens Préliminaires, tant pour Elle-même, que pour ses Héritiers et Successeurs, à perpétuité et avec toute la Souveraineté et indépendance de la Couronne de Bohême, à Sa Majesté le Roi de Prusse, ses Successeurs et Héritiers,

ritiers, de l'un et de l'autre Sexe, à perpétuité, tant la basse que la haute Silésie etc.

Quamvis modo memorata iam sufficere possent, tamen non inutile erit illustrationis causa plura adferre. In Pacificatione Magnae Britanniae Regem Electoremque Brunsvico-Luneburgicum inter et Ulricam Eleonoram, Sueciae Reginam, Holmiae 1719. sancita, art. 3. ita statuitur: Ihr Königl. Majestaet von Schweden cediren und übertragen vor Sich, das Reich Schweden und Ihre Successores und Nachkommen Seiner Königl. Majestaet von Grosbritannien, als Herzogen und Chur-Fürsten zu Braunschweig und Lüneburg, und Dero Nachkommen an der Regierung in perpetuum, die Herzogthümer Bremen und Verden, pleno jure etc.

In Pace Holmensi Borussiam inter et Sueciam 1720. conclusa, art. 3. ditiones sequentibus verbis ceduntur: Ihr Königl. Majestaet in Schweden cediren und übertragen, für Sich, das Reich Schweden, und Ihre Successoren und Nachkommen, Sr. Königl. Majestaet in Preussen, Dero Königl. Hause, auch Erben, Nachkommen und Successoren, keine davon ausbeshieden, in perpetuum, die Stadt Stettin, mit dazu gelegten ganzen District Landes u. f. w.

§. 34. Ex his absque omni contradictione constat: unum paciscentem omnem proprietatem cessisse, eique abdicavisse, pro se, suisque heredibus, in perpetuum; eamque, tam in alterius personam ipsam, quam eius heredes, transfuisse in perpetuum; ita ut mera sit impossibilitas, illum, qui omnem proprietatem cessit eique abdicavit in perpetuum, eam tali modo iterum acquirere, alterumque contra, cui in perpetuum ista cessa erat, eam nunc amittere posse.

§. 35. Negari quidem non potest quod quis bene attenda hac lege, inter gentes consuetudine constituta, in cedendis pacificatione ditionibus, dominium suum proprietatemque in totum, inconditionatim et in perpetuum, cedere possit; nihil

nihilominus tamen excipiendo sibi pro hoc illove casu Ius Reversionis stipulare, seu quod idem est, quod talibus casibus determinatis existentibus, proprietas haec cessa pristino domino nunc iterum quasi accrescere, seu ad eum redire, deberet, sibi reservare posse; qualem stipulationem sinit tractatus pacis Aquisgranensis definitivi, 1748. conclusi art. 7. quo Romanorum Imperatrix Hungariaeque Regina, Ducatum Parmae, Placentiae et Guastallae, Infanti Hispaniae Philippo eiusque heredibus masculis ex eo natis, in totum, et hoc respectu in perpetuum cessit; his constitutis vero sequentia adiicit, sibi que stipulata: Quae omnia tamen non nisi de eo temporis intervallo intelligenda sunt, quo vel praedictus Serenissimus Hispaniarum Infans Philippus, vel unus ex Eiusdem Descendentibus, vel utriusque Siciliae vel Hispaniarum Thronum nec dum conscenderit, quippe quo tempore, et illo, quo saepe memoratus Infans absque Descendentibus masculis decesserit, Nos Nobis Nostrisque Haeredibus et Successoribus omnia Iura, Actiones et Praetensionones, quae Nobis in eosdem Ducatus prius competierunt, ac proinde Reversionis jus, per expressam reservamus.

§. 36. Ex his vero nulla alia nisi ea procedit consecutio: quod quidam casus expresse excipi possint in pacificationibus, quorum respectu supremi domini proprietatisque translatio modo revocabiliter sit intelligenda. Si igitur ponamus quod eventualiter casu fractae pacis ita stipularetur, neque de eiusmodi conditionis validitate dubitari posset, neque, ut inde necessaria consequentia sequitur, quod dominium ditionum antecedentibus pacificationibus cessarum, tunc iterum rediret. Sed nobis de articulorum pacis intermeritate differentibus, de aliqua eiusmodi generis conditione stipulata hic non est quaestio; sed quaerimus: an jus talem recessionem iubeat quamvis nulla talis expressa reservatio in eventum, seu in casum novi exardescens belli ubique sit stipulata?

§. 37. Vulgatum illud, quod exceptio nempe firmet regulam in casibus non exceptis, etiam hic locum sibi vindicat: nam ea propter quod *modo* in satis determinato et liquide expresse casu supra dictae ditiones ad pristinam superioritatem redeant, subditique subiectione obsequioque, novo, in cuius superioritatem nunc transirent, domino praestandis, eventualiter liberentur et exsolvantur, si nempe: 1. Infans absque descendantibus masculis decederet, seu eius posteritas macula extingueretur; aut 2. ipse Infans aut dicti ipsius descendentes Siciliae vel Hispaniarum Thronum conscenderent; inde a contrario perspectum satis exploratumque constat, Reversionis juri hic non esse locum, neque supra memoratos ducatus ad Austriam redire seu recedere, novum bellum inter has transigentes partes iterum si exardesceret.

§. 38. Porro casus existere potest quod quis suum dominium proprietatemque cedere eique abdicare possit, nihilominus tamen ut conditionem sine qua non sibi stipuletur: quod alter etiam a sua parte transactis satisfaciatur. Tale exemplum nobis praebet tractatus definitivus Galliam inter et Austriam 1738. conclusus, cuius articulo 7. in Diplomate Cessionis Neapolitanum Siciliaeque regnum concernentem, ita statuitur: Hinc est quod Nos, — — certa spe freti, vicissim tum ab Hispaniarum Rege Catholico, tum ab omnibus iis, quibus, juxta ordinem infra relatam, in magnum Hetruriae et Parmae Placentiaeque Ducatus succedendi ius competiisset, ante memoratorum praefimularum articulo tenorem pari bona fide ex asse adimpletum — — iri, pro Nobis et Successoribus Nostri cedimus et renunciamus etc.

Impletis tamen reciproce ita ut debebat, pacificatione stipulatis, conditio sit purificata, consequenter proprietates alteri parti nunc in totum, absque omni alia conditione et in perpetuum, est cessa; novi belli casus vero eo minus illa com-

pre-

prehensa esse potest, quia alias eventus talis ita ut ceteri determinati casus ad instar conditionis sine qua non, stipulari expresseque constitui debuisset.

§. 39. Si vero objici hic posse forsan putares, casum belli, quamvis in pacificatione aliqua non expresse esset determinatus, nihilominus tamen semper pacificatione tali per se esse comprehensum, seu ut dicitur ei inesse virtualiter; respondeo: hoc meram et indemonstrabilem esse Petitionem principii, cui liquidissima verba illa, quibus absque omni conditione et in perpetuum tota proprietas cessa eique abdicatum est, obstant.

§. 40. Non minus fundamento est destitutum si contendere velles: quod nullum intercederet discrimen, inter pacificationem nunquam expletam, aut post expletionem ruptam. Quamvis enim negari non possit, quod respectu detrimenti quod parti laesae inde infertur hoc unum idemque sit; tamen non unum idemque est et valde ab hoc casu distat: an aliquid expressis verbis stipulatum vel non stipulatum sit; cum ex pacto quis ad aliquid obligari possit, ad quod tali stipulatione non existente nulla illi obligatio inhaereret. Ut privatorum, hic etiam summorum imperantium rebus applicandum est vulgatum illud: jura vigilantibus sunt scripta; illis igitur qui sibi non prospiciunt detrimentumque inde capiunt jus imperfectum quidem manet indemnificationem ab altero postulare, qui vero jure perfecto ad eam praestandam nullo modo est obligatus.

§. 41. Nullam ceterum involuit contradictionem quod alicui rei cuiusdam proprietatis certis, sive expressis, sive tacitis sub conditionibus, cedatur; et nihilominus ab una parte conditiones si non praestentur, cessa proprietatis tamen ideo non ad pristinum possessorem redeat, sed non attento quod conditiones non sint expletae aut iterum fractae, in novi domini possessione permaneat.

§. 42.

§. 42. Non solum Iure positivo, sed ipsa ratione fundata est distinctio illa inter Ius in re et Ius ad rem. Casu enim quo proprietatem meam supremumque dominium non cessi, mihi est Ius in re, res mea est, meaque permanet quamvis alius eam possideat; et si ille conditionibus quibus in eum est translata non stat, illam tanquam meam proprietatem repetere optimum liquidissimumque Ius habeo. E contra, si proprietatem meam cedo, expressis quidem, aut tacitis conditionibus, omnimoda tamen cessione et abdicatione domini proprietatisque meae, Ius quidem mihi manet ab altero postulare ut condiciones, quibus proprietatem meam cessi, praestet, dominium vero, et proprietas, est, permanetque amissa, alter condiciones sive praestet, sive non praestet.

§. 43. His positis ergo si quis concludit: quod si unus paciscens pacis pactionem, vi cuius ditionem acquisivit rumpit, alterum posse ab ea discedere; libenter ei assentio: si vero inde concluderetur: Ius quod ille esset acquisitum, esse amissum; hoc omnimode esset falsum; hoc casu quo de ditionibus cassis est quaestio; cum nequidem de iis iuribus quae personas summorum imperantium concernunt indistincte hoc dici possit, dum etiam haec pro parte subsistunt, de quibus nunc dicendum erit.

§. 44. Quod secundum momentum supra memoratum, nempe eos articulos pacis proprie tales qui personas summorum imperantium concernunt attinet omnino ii subsistunt qui tale quid continent quod ipsis eorum personis inhaeret, ut id gentium consuetudine firmatur; ita ut contrarium dici non possit, nisi quis omnia gentium Iura et consuetudines destituere vellet; ut per sequentia absque omni contradictione constabit.

Ducem Bragantinum qui se in Regem Lusitaniae evexerat, Hispaniae Rex tanquam rebellem spectabat; denique pacificatione ambos inter Ulyssipponae 1663. sancita, illum pro legitimo Portugalliae Rege agnoscebat. Inter Hispaniam et
Portu-

Portugalliam bello vero 1703. exorto, illa sibi inde non arrogabat ius Regem Portugalliae non amplius pro huius Regni Rege agnoscere, potiusque iterum contrarium contendere. Pace Ultrajectina etiam 1713. conclusa, cum eo ut legitimo Rege, Hispaniae Rex tractabat.

Aliud tale exemplum praebet Respublica foederati Belgii, cuius provinciae Hispanica dominatione olim subjectae, se ab ea bello, multos per annos igitur gesto, liberabant. Pacificatione denique 1648. Monasterii conclusa, art. 1. statuebatur: Quod Rex Hispaniarum imprimis declararet atque agnosceret, Unitarum Belgii Provinciarum Ordines Generales, Eorumque Provincias, Regiones, Ditiones atque Oppida libera, nullique nisi Ordinib. Gen. subjecta esse; in has eorumve provincias, Rex neque praesenti, neque futuro tempore, sive pro se Ipso, sive pro Successoribus Suis Regibus, quidquam praetenderet; proinde contentus cum iis ea conditione agere, etc. Bello successionis in Hispaniae Regnum causa exorto, etiam Uniti Belgii Respublica arma contra Philippum V. gerebat; sed nunquam Libertas et ~~Souverainetés~~ illius in controversiam est deducta; potius in pace Ultrajectina cum ea in qualitate semel legitime acquisita tractatum.

Ad supra dicta porro illustranda sequens facere potest exemplum. In Confoederatione Quadruplici Londini 1718. conclusa, quae ratione sequentium, ut ex eius Prooemio apparet, naturam pacificationis habet, art. 2. et 3; ut et pace Viennae 1725. sancita art. 3. et 4. Caesar Carolus VI. Archidux Austriae, qui olim in Regnum Hispaniae praetensiones fecerat, earumque causa bellum gesserat, Philippum V. legitimum Hispaniarum Regem agnoscebat, promittebatque eidem titulos dignitati suae debitas tribuere; praeterea sinebat eundem, eiusque descendentes heredes et successores mascululos et foeminas pacifice frui cunctis iis ditionibus Mo-

C

nar-

narchiae Hispaniae in Europa, in Indiis, et alibi, quarum possessio ipsi per tractatus Trajectenses asserta fuisset etc.

Post mortem Caroli VI. Hispania in Austriacas ditiones successionem praetendebat, et inde illius filiam heredem bello adorabat. Quamvis absque dubio pax Viennensis rupta nunc esset, Archiducissa Austriae tamen ideo Hispaniae Regi, regiam dignitatem denegare non audebat. Refertur huc etiam possant quae in Pacificationis Ultrajectensis Instrumentis M. Britanniam inter et Galliam art. 6. Hanc inter et Rempub. foed. Belgii art. 31; Hispaniam inter et M. Britan. art. 2. respectu agnitionis Philippi V. pro Rege Hispaniae sunt constituta bellaque inter has potentias postea saepius exorta.

His sequentia *Miseri* verba sunt adjicienda qui ait: Dafs ein Souverain, der einen andern durch einen Friedens-Schluss als rechtmäeffigen Souverain erkannt hat, bey anbrechendem neuen Krieg doch dafür erkennen müfste, ist wohl richtig.

Et porro: Wann ein Souverain einem andern ein Reich oder Land durch einen Friedens-Schluss abgetreten hat, und sie verfallen wieder von neuem in Krieg, ist jener dennoch schuldig, diesen in der durch den Friedens-Schluss eingeräumten Qualitaet zu erkennen.

Es waere dann, dafs bey Abtretung des Landes dem ehemaligen Besitzer dasselbigen auf solchen Fall ein Vorbehalt geschehen waere.

§. 45 Quaeri fortasse possit annon hic respiciendum ad naturam belli, nempe an iustum vel iniustum sit? Sed hic nullum intercedit discrimen. Bellum enim secundum iudicium eorum qui ita sunt positi, necessariusque mediis et cognitionibus instructi, ut utriusque partis rationes et jura deponderare et perscrutare possint, iustum vel iniustum, vel ut ita dicam, etiam mixtum dici potest; sed summi imperantes neminem pro iudice agnosceant nec agnosendum habent, nullusque inter eos existit iudex. Nemo eorum vult videri

videri iniustus, nemoque est qui ullum potentem pro tali declaret declarareque possit; consequenter in sensu Iuris, gentium practici bellum iniustum non existit, moraliter quamvis comparatum sit prout vis. Partes enim belligeranter aut ratione principum iuris, aut eorum applicationis, aut etiam factorum ratione persistere solent in contradictoriis; neque cuilibet parti litiganti haud raro deerint alii summi imperantes qui uni alterive accedant. Cum vero ita semel sit nilque excogitari possit quo hac in re aliter statui posset, nisi politica illa ab Angliae Regina Elisabetha primum profecta, Galliae Regi Henrico IV. per Ducem de Sully deinde intimata, magisque ab his perpolitata et extensa, posteaque vero partim chimaericis permixta ideis de Universali quadam Christiana Republica et Senatu Gentium perpetuo de summorum imperantium controversiis decidente, post Abbatem de St. Pierre aliosque iterate proponere velis; nulliusque in potestate sit positum seriem iuncturamque rerum Europae compaginis in aliam transmutandi formam quam prout semel habeat: etiam omnia hoc respectu dicenda sunt superflua et inania; et hic modo quaeritur quid secundum hodiernas Europae politicas rationes iustum vel iniustum dicatur vel ita dici possit.

§. 46. Porro se sistit quaestio annon discernendum sit ratione belli quo quis, qui per pacem ditionem aliquam, aut jus quoddam acquisivit, antea in hanc terram aut hoc ius praetenderit, vel non praetenderit? Ante pacem conclusam, aut potius ante primum bellum, omnino non est idem an mihi sit praetensio in terram etc. vel non: quia praetensio mihi dat ius terram illam, si aliter fieri non potest, vi acquirendi; quod e contra ratione ditionis in quam nulla mihi est praetensio, non fieri potest. Ut vero, usque dum modo praetenditur, praetensio etiam modo dat ius ad rem; sic e contrario per pacificationem dominium in me transferatur, et hoc mihi dat ius in re, idque etiam deducatur undeque sit.

C 2

§. 47

§. 47. Indagandum etiam esse videtur casus quo quis iam ante pacem, terram per eam cessam vi armorum acquisivit, et eius veram naturalem possessionem habuit; modoque illo per pacificationem possessio civilis, aut ius fortius magisque perpetuum quam ius victoriae est, cessum sit; aut terram etc. ante pacem nunquam, aut modo non tempore pacificationis in possessione habuerit, hoc non attenditur; sufficit quod nunc per pacem tanquam legitimum titulum juris gentium proprietatem acquisivit; ante factorum nulla amplius habetur ratio.

§. 48. Denique in considerationem venire non potest, an is qui ditionem aut ius quoddam per pacificationem acquisivit, aut cuius dignitas aut qualitas assumpta agnita est, ipse novi belli sit auctor vel non? Demonstrari enim non potest quod si quis bellum, (sive per se iustum vel iniustum sit) contra tertium aliquem principem declarat, auctor belli non amplius sit dominus suae proprietatis, aut desinat porro esse ille pro quo usque adhuc est agnitus.

2. *Quatenus articuli pacis proprie tales destituuntur, et quem effectum, pro huius illiusve stipulationis indole, bellum habeat.*

§. 49. Usque adhuc exposui quatenus pacificatio etiam novo exorto bello vim pristinam obligandi conseruet. Cum vero ut supra iam dixi per novum bellum pristinae pacificationes destituuntur et quodammodo vim obligandi amplius non habeant, indagamus quo usque haec destitutio se extendat.

§. 50. Novum si bellum exardescit hostis non praetendere potest ut ei id praestem ipse, aut ei in meo territorio permittam, aut in mea aut illius ditione intermittam, ad quod pacis tempore, vi legum pacificationis essem obligatus.

Hos

Hoc illustrari potest art. 15. pacis inter Russiam et Portam Ottomannicam Belgradae 1739. conclusae, quo statuitur: quod haec Tartaris prohibere deberet ditiones Russorum amplius turbare incursionesque hostiles in eas facere. Haec stipulatio articulus pacis proprie talis et principalis erat, nam harum irruptionum causa bellum erat exortum. Per se tamen patet quod postea bello novo exorto illa annullaretur.

Ad illustranda porro quae in §. sunt dicta sequens exemplum facere potest. Reges Angliae ab perantiquis temporibus jus sibi asservuerunt ut aliarum nationum naves, quae Anglicis navibus obviam dedissent in Mari Britannico in honoris testimonium erga Regem et Recognitionem Anglici Domini, vela dimitterent. Olivarius, Angliae Protector, ab hac veli submissione, a nave Belgica, Anglicam praetervehente, in isto mari omissa, exoptatam occasionem arripiebat cum Republica foederati Belgii 1651. pacem rumpendi, quo inde postea funestissimum maritimum bellum exardescibat. Pacificationis deinceps Londini 1654. sancitae art. 13, statuebatur: Quod naves et navigia Foederatarum Provinciarum, tam bellica et ad hostium vim propulsandam instructa, quam alia, quae alicui e navibus bellicis huius Republicae, in Maribus Britannicis obviam dedissent, vexillum suum e mali vertice detraherent, et supremum velum demitterent, eo modo quo illis retro temporibus, sub quocunque anteriori regimine, unquam observatum fuisset.

Per se patet, hunc fuisse articulum pacis proprie talem ut et principalem, tamen etiam, usque dum bellum exardescit, eum fieri dehitutum. In pacificatione Angliam inter et foederatum Belgium Bredae 1667. conclusa, art. 19. et pace Westmonasterii 1674. sancita, art. 4. eadem de re de novo fuit statutum. Similia huc facientia exempla ex pacificationibus aliorum gentium adferri possent, memorata tamen sufficient.

§. 51. Secundum ius gentium belli status mihi dat jus omnia quae ad hostem meum pertinent quantum in viribus

meis positum est occupare, proprietatemque mihi exinde reddere; quo inde sequitur: quod terras quas per pacificationem hosti cesseram iterum occupare measque facere possim; sed non ideo quod antea in mea proprietate fuerunt, pacisque pacto, qua eas cessi, nunc non amplius vim obligandi haberet; sed quia ad hostem meum pertinent, cui etiam, si in viribus meis est positum ea eripere licet quae nunquam ad meam proprietatem pertinuerunt.

Casterum jure gentium ait *Grotius*, non tantum is qui ex iusta causa bellum gerit, sed et quisvis in bello solenni et sine fine modoque dominus fit eorum quae hosti eripit, eo sensu nimirum ut a gentibus omnibus et ipse et qui ab eo titulum habent in possessione rerum talium tuendi sint, quod dominium quoad effectus externos licet appellare.

Porro hic sunt adferenda *Moseri* verba: Wann die Verbindlichkeit eines Friedensschlusses durch einen neuen Krieg aufgehört, bekommt der Souverain, so selbiges verlohren hat; zwar von neuem ein Recht, sich eines durch den Frieden abgetretenen Landes eben so, wie aller anderer Lande seines Gegentheils, zu bemaechtigen, die abgetretene Ober-Herrschaft eines solchen Landes aber faellet nicht *ipso jure* wieder zurück.

Et etiam: Wann ein Souverain ein feindliches Land durch Gewalt der Waffen unter seine Bottmaessigkeit bringen, und es behaupten kann, ist solches nach dem Voelcker-Recht ein rechtmæssiger Grund zu der Ober-Herrschaft darüber.

Doch wird dieses Recht erst dadurch unwiderrufflich, wann es ihm von dessen ehemaligen Souverain durch den auf den Krieg erfolgenden Frieden abgetreten wird.

§. 52. Hic etiam se sistit quaestio quid statuendum sit ratione subjeutorum talium ditionum quae antehac pacificatione sunt cessa? ad quam respondeo: quo usque ditiones per pristinam pacificationem cessae a pristino domino non revera iterum armorum vi sunt recuperatae, aut quatenus iis de

novo possessionem earum defendere potest, eo usque etiam et eatenus a subjectis, secundum jus gentium nil postulari potest, quod obligationi repugnat, quam debent domino in cuius potestatem transferant per pacificationem, quae nunc quodammodo est destituta; neque tales ditiones etc. considerari possunt aut ita haberi, quasi pristini eorum possessoris proprietates essent.

Ad haec corroboranda sequentia *Grotii* adfero verba, qui ait: Caeterum in hac belli quaestione placuit gentibus, ut cepisse rem is intelligatur qui ita detinet ut recuperandi spem probabilem alter amisit.

Et porro: At agri non statim capti intelliguntur simul atque infessi sunt. nam quamquam verum est, eam agri partem quam cum magna vi ingressus est exercitus ab eo interim possideri, — — tamen ad eam quem tractamus effectum non sufficit qualiscunque possessio, sed *firma* requiritur.

Moseri huc facientia verba vero ita se habent: Und solange der Ueberwinder sich nur als einen Feind, nicht aber als einen neuen Landes-Herrn, gerirt, seynd die Unterthanen weder ihrer Verbindung gegen den vorigen Herrn los, noch dem Feind die Treue schuldig, zu welcher sie gegen den Landes-Herrn verpflichtet seynd.

Führet sich aber der Ueberwinder als Landes-Herr auf, und er ist menschlichen Ansehen nach in dem Stand, es zu behaupten, handelt ein Bedienter und Unterthan nicht wider das Völcker-Recht, wann er sich gegen ihme als seinen Landes-Herrn bezeuget.

Ad ea quae in §. sunt dicta et caetera illustranda adhuc adfero sequentia: In Pace Holmenfi inter Sueciam et Magn. Britanniam, supra §. 33. allegata, ratione subditorum ditionum cessarum art. 3. verba ita sonant: Entbinden hiemit alle Unterthanen solcher Herzogthümer, aller derer Pflichten und Verbindungen, womit sie Ihro Majestæt und dem Reich Schweden verbunden gewesen und verweisen sie damit an
Se.

Se. K. M. v. Grosbritannien etc. als Ihre nunmehrige alleinige und bestaendige Landes und Oberherren.

In Pace Holmenſi inter Sueciam et Boruffiam, diät. §. allegata, ſequentibus verbis ſtatuitur: Entbinden hiemit die Unterthanen — anietzo cedirten Oerter, aller derer Pflichten und Verbindungen womit ſie etc. — und verweiſen ſie damit an S. K. M. in Preuſſen und Dero ob mitbeſchriebene, als Ihre nunmehrige rechtmaeffige - ohnſtreitige Landes- und Ober- Herrn.

Pace Aboenſi inter Sueciam et Ruſſiam 1743. concluſa, art. 5., poſtquam ditiones ceſſae ſunt denominatae, verba ita ſe habent: Der König und die Crone Schweden renunciren auf alles dieſes, entlaſſen alle Unterthanen daſelbſt ihrer Eid und Pflichten, und wollen nimmermehr unter keinem Vorwand einigen Anſpruch darauf machen, ſondern es ſoll dem Ruſſiſchen Reiche incorporirt ſeyn, und in deſen ruhigen Beſitz bleiben.

Eadem pax etiam exemplum praebet, quod propter feliciffimum Ruſſiae contra Sueciam armorum ſucceſſum, in occupatis Suecicis ditionibus ſubjecti coacti fuerint, illae iuramentum ſubjectionis praeflare, ita ut inde eius art. 6, occasione ditionum Sueciae reſtituendorum, ratione ſubjectorum hiſ verbis ſtatueretur: Hingegen will die Czaarin an Schweden Zurückgeben, das Herzogthum Finnland, die Proviñtz Oſt-Bothnien, Biorneburg, Abo, etc. und entlaeſt alle Unterthanen der Pflichten, die ſie ihr geleiſtet haben.

§. 53. Si denique de pace reſtituenda tractatus ſuſcipiuntur, tunc quantum priſtinae pacificationes ſint deſtitutae quam pleniffime perſpici poteſt. Hoc enim caſu ſecundum Ius gentium practicum fortior pars jus habet tantum poſtulare, quantum ut finem acquisitionis, ſibi pro ſua modestia aut cupiditate ſtatuit, et debilior pars, ſi alias pacem conſequi vult, concedere eſt coacta, priſtinarum pacificationum ſtipulationes quamvis etiam magna pro parte aut adeo in totum, deciderent. Tale

Tale exemplum fiunt Sueciam inter et Russiam acta. Illa nempe propter infelices armorum successus 1721. coacta erat pace Nystaedtae conclusa, Russiae cedere Livoniam, Esthni- am, Ingriam, Careliae partem et Wiburgslehn; et ita om- nia amittebat quae pace Teusinenfi 1595. Wiburgensi 1609. et inprimis Stolbowiensi 1617. et hanc redintegrandem et confirmandem Cardisiensem 1660. aut ipsis ditionibus, aut in tales praetensionibus, cessis, acquisiverat; ut inde omnes pristinae pacificationes Nystaedtenfi illa infelici quam maxi- me destituerentur et in totum usque deciderent.

§. 54. Et haec requirunt ut sequentia aduciamus. In om- nibus pacificationibus semper pristinae pacificationes reno- vari et confirmari solent. Si vero, ut supra est dictum et in sequentibus dicetur, articuli pacificationum pristinarum, e. g. ratione ditionum cessarum etc. intemerati subsistunt, iam non necesse esset illas renovare et confirmare nova pace, eo minus, cum ea de iis quae ratione pristinarum pacifica- tionum sunt mutata et aliter stipulata, expresse iterum sanc- titur. Sed respondeo: finito bello paceque iterum sancita, finita quidem esset lis de qua novum bellum erat exor- tum et mutua amicitia esset restituta; cum vero novo bello pristinae pacificationes decidunt et partes ab obligatione li- berantur, si illae non renovarentur et confirmarentur nova pace, nulla pars expresse et perfecte obligata esset alteri, si alias non placeret, illarum stipulationes praestare eumque in- quieti ditionum juriumque cessorum possessione exercitio- que non turbare; sed semper via pateret, ad formandas in- de occasione suadente exceptiones et praetensiones et adeo ad pacem ipsam iterum rumpendam; ita ut igitur ad ex- pressam et firmam, pristinarum pacificationum validitatem constituendam, jus gentium practicum earum renovationem et confirmationem requirat et suadeat.

Hinc, quod non satis circumspice in Pace Aboensi, inter Sueciam et Russiam an. 1743. sancita, ratione pacis Nystaed-
D tenfis

tenſis 1721. concluſae, eſſet actum, et omnia ita ſtriſte eſſent determinata ut alias ſecundum gentium praxin fieri ſolet, inter iſtas potentias an. 1749. ad implicatas controverſias et difficiles diſcuſſiones anſa arripiebatur.

Ad hunc §. illuſtrandum porro adfero ſequentia, ubi compaciſcentes hac in re ſatis provinde ſibi proſpexerunt. In Pace Pariſienſi 1763. inter Galliam et Hiſpaniam ab una, Magnam Britanniam vero ab altera parte concluſa, ratione priſtinarum pacificationum ut et aliorum tractatum ſequenti modo ſtatuabatur art. 2: Quod Pacificationes Weſtphalicae de 1648, Tractatus Madritenſes inter Coronas Magnae Britanniae et Hiſpaniae de 1667 et 1670, Neomagenſes pacis tractatus de 1678 et 1679, Ryſwicenſes de 1697, Ultrajectenſes pacis et commerciorum tractatus de 1713, pax Badenſis de 1714, Triplicis Foederis Tractatus Hagae 1717, concluſus, Foederis quadruplicis Londinenſis Tractatus de 1713, Wiennenſis pacis tractatus de 1738, Aquisgrat^{enſis} tractatus definitivus de 1748, et Madritenſis tractatus inter Magnae Britanniae et Hiſpaniae Coronas de 1750, ut et Tractatus inter Hiſpaniam et Portugalliam de 1668, 1715 et 1761, Tractatus Galliam inter et Portugalliam de 1713, cum Guarantiis Magnae Britanniae, Pacificationi et praesenti Tractatui pro Baſi et fundamento eſſe deberent; qua propter etiam ea hoc Inſtrumento omnia optima forma renovarentur et confirmarentur; ut id etiam generaliter reſpectu omnium eorum tractatum fieret, quae ante hoc bellum inter partes contrahentes ſubſtituiſſent, et qui, quaſi a verbo ad verbum hic inſerti eſſent, ab omnibus partibus in futurum quam ſtriſtiſſime ſecundum totum eorum tenorem exacte et ſancte obſervari et impleri deberent ratione omnium eorum quae per praesentem tractatum non eſſent immutata etc.

In Pacificatione Hubertsburgi 1763. inter Auſtriam et Boruſſiam ſancita art. 12. hoc reſpectu ſtatuabatur; Quod Articuli praeliminares pacis Wratislavienſis de 11 Junii 1742, et eius-

eiusdem pacis tractatus definitivus, Berolini d. 28 Iulii e. a.
 signatus, Recessus quo fines determinantur de 1742. et pacis
 tractatus Dresdensis de 25 Dec. 1745. quatenus ratione eo-
 rum per praesentem Tractatum nil immutatum foret, reno-
 varentur et denuo firmarentur; et art. 19. quod P. W. et
 omnes caeterae Imperii Constitutiones praesenti pacis tracta-
 tu confirmarentur; quod ex causis, belli septennalis histo-
 riae gnaris, facie obviis, factum Pace memorato l. et a.
 inter R. Borussiae et Poloniae R. Saxoniaeque El. concl. art. 5.
 statuebatur: Quod pacis tractatus Dresdae 1745. conclus. in
 optima forma et secund. tot. tenor. expresse renovaretur et
 firmaretur quatenus per praesentem Tract. non abrogaretur
 et obligationes in eo contentae ita essent comparatae quod
 adhuc effectum habere possent.

Pacificatione Austriae inter et Borussiae 1779. Teschenae
 sancita art. 12. ratione pristinorum pacis tractatum ita verba
 se habent: Les Traités de Westphalie et tous les Traités
 conclus depuis entre Leurs Majestés Imperiale et Prussienne
 et nommément ceux de Breslau et de Berlin de 1742. de
 Dresde de 1745. et de Hubertsbourg du 15. Février 1763.
 sont expressement renouvelés et confirmés par le présent Trai-
 té de paix, comme s'ils y étoient insérés mot à mot.

Hoc casu etiam Pacis Westphalicae Tractatus renovantur
 et confirmantur, cum tamen in antecedentibus pacificationi-
 bus (si exceperis quod art. 19. pac. Hubertsb. modo ante
 memoratae, ratione P. W. est statutum) nunquam istorum
 pac. tractat. mentio est facta. Ex verbis: Traités de West-
 phalie, procedere videtur Borussiae hoc ita poni curavisse
 quod l. P. O. et M. partim Constitutionem Imperii, partim
 Guarantiam utriusque Instrumenti concernentia, compre-
 hensa essent; ea in controversiis cum Austria ratione Bava-
 ricae successionis agitatae ad P. W. dispositiones ut et eius
 Guarantiam provocavisset et se in qualitate Guarantiae fisisset.
 Clausula vero alias adjici solita: quatenus per praesentem

pacis tractatum pristinae pacificationes non in uno alterove
essent immutatae, hic cessabar; cum pax Teschnensis nil
comprehenderet quo ratione denominatorum pristinatorum
pacis tractatum aliter esset stipulatum.

§. 55. Absoluta Ima Tractationis Sectione adhuc sequen-
tes restant Sectiones: IIda, quae de *Articulis connexis* (et-
iam pro argumenti ratione sec. §. 31. discernendis) et qui-
dem 1. de A. c. compaciscentes concernentibus qui pace ru-
pta subsistunt, 2. de A. c. qui pace rupta destituuntur, et 3.
de A. c. qui tertias personas concernunt, IIIIa, quae ea-
dem ratione de *Articulis diversis* et IVta, quae de *Articulis*
separatis et secretis agit; Vta, quae *Grotii, Wolffii, Vattelii*
aliorumque DD. J. G. de proposita quaestione sententias recen-
set et VIta, quae *falsa hoc respectu in Manifestis quorundam*
gentium prolata principia, quae vero ceterorum gentium principiis
adversantur, sistit. Ista vero cum ad differendum jam suffieat, et
apud animum constituerim de hoc themate elaboratiorem et
limatiorem commentationem patrio idiomate edere, ea tamen
quae typis exscribenda restant adhuc plus quam 60. paginas
constituissent, hanc hic terminamus.



Allegata.

Allegata.

Ad §. 5-10. Actes et Mem. des Negotiations de la Paix de Ni-
megne, Ed. in 4. P. II. p. 30. 33. 43 - 45. Pufendorf de rebus gest.
Frid. Wilh. L. 15. §. 52-55. ad §. 12-22. Anmerk. über d. W. C. K.
Carl VII. v. I. I. Moser, P. II. p. 79. et 754, et Eiusd. quem hic et
aliis secutus sum locis, Vermischt. Abhandl. 1 St. Act. et Mem. de la
Paix d'Utrecht, T. I. p. 448. Schmaufs Staats Wiss. P. I. p. 279.
Fab. St. Canzl. T. 14. p. 719-838. Schmaufs l. c. p. 323. Act. et M.
mod. all. c. l. p. 314-357. - 29. Histoire du Congrès et de la Paix
d'Utrecht p. 266 et 287. Schm. l. c. p. 380. ad §. 27-29.
Pufendorf de reb. Suecicis p. 858. seq. ad §. 33-38. Schmaufs C.
I. Gent. P. II. p. 1798 et 1815. Ej. St. W. P. I. p. 621. ad §. 42. L. 25.
pr. Dig. de Oblig. et actionib. ad §. 44. C. I. Gent. P. I. 929. II. 1483. et
I. 615. Leo ab Aitzema Hist. Pac. p. 688. C. I. G. II. 1469. 1722-23.
1934. 1315. 1398. 1419. Moser Grundr. d. Europ. V. R. in Kr. Z. B. I.
C. 2. §. 39. 64. 65. ad §. 45 et 46. Glaffey Vernunft u. Voelk. R. p. 448
et 44. 621. seq. Voelk. R. p. 29. Gribneri Jurispr. Natur. L. III. C. 8.
§. 4. Memoir. du Duc de Sully Ed. Rouss. 1657. T. II. p. - Schmaufs
St. W. P. I. p. 53. Achenwall Eur. Staatshaend. p. 17. ad §. 50. Schm.
l. c. II. 609. Mercure hist. Mars 1740. p. 300. Seldenus de Dom. Mar.
Brit. L. 2. C. 26. Aitzema l. c. p. 856. C. I. Gent. I. 905. 972. ad §. 51.
Grotius de I. B. et P. L. III. C. 6. §. 2. Moser l. c. B. 1. C. 4. §. 33. et
ib. §. 19. 20. ad §. 52. Grot. l. c. III. 6. §. 3. 4. Mos. c. l. B. 2. C. 10.
§. 19. 20. Schm. C. I. Gent. II. 1798. 1815. Ej. St. W. II. 630. 31. ad
§. 53. St. W. II. 55-59. 147-49. 513. seq. C. I. G. II. 1847. ad §. 54.
Beytr. z. n. Staats und Kr. Gesch. T. 18. p. 567. ibid. T. 19. p. 23. 25.
33. ad §. 55. Grotius l. c. III. 19. §. 14. Wolff Jus Gent. §. 1033. Vattel
Voelk. R. P. III. p. 443. Gesch. u. That. der Koenig. v. Hung. P. II.
p. 356. 784. III. p. 690. 696. Eur. St. Secr. P. 84. p. 1025. des Ruff. R.
V. Canzlers Schaphirof Raisonnement über d. v. an. 1700-1716. zw. Ruffl.
und Schwed. gef. Kr. in Mos. Nachles. rar. Staats-Bedenk.

Errata. §. 1. l. 1. add: Magnum, ant. v. eius momentum. p. 2. l. 16.
post stipulat. add: est. l. 13. del: s, pon. ac. §. 4. post His, add:
ita. §. 9. del. ita, leg: resp. §. 18. l. 5. del: illius partis. p. 17. l. 4.
del. 3. pon: 1715. l. 20. post et, pon: Suprematus. p. 19. l. 10. post
v. illa, add: projecta et quae caetera ob typograph. festinat. irrespere-
runt menda ubi pro o. et s. ponend. a. e. LL. emendare rogantur.

Allegorie

Allegorie des Lebens...
Das Leben ist ein Traum...
Wir sind alle nur Schatten...
Die Zeit vergeht so schnell...
Und wir sind bald dahin...
Denn das Leben ist ein Spiel...
Und wir sind nur die Spieler...
Die Zeit vergeht so schnell...
Und wir sind bald dahin...
Denn das Leben ist ein Spiel...
Und wir sind nur die Spieler...

Das Leben ist ein Traum...
Wir sind alle nur Schatten...
Die Zeit vergeht so schnell...
Und wir sind bald dahin...
Denn das Leben ist ein Spiel...
Und wir sind nur die Spieler...

Allegorie des Lebens...
Das Leben ist ein Traum...
Wir sind alle nur Schatten...
Die Zeit vergeht so schnell...
Und wir sind bald dahin...
Denn das Leben ist ein Spiel...
Und wir sind nur die Spieler...



Helmstädt, Diss., 1786-95

ULB Halle 3
004 327 586



f
5b.







Herrn Professor Schmeltzer.

Leopold, Paul Christoph Aug.

1792, 4

14

452

COMMENTATIO IVRIS GENTIVM EVROPAEI
DE
EFFECTV NOVI BELLI
QVOAD VIM OBLIGANDI PRISTINARVM
PACIFICATIONVM.

